
6
12 E
58

COMITIS
JOANNIS ANTONII
CIANTAR,

Academici Intronati, &c.

EPIGRAMMATON
LIBRI III.

ROMÆ, MDCCXXII.

Ex Typographia Chracas propè SANCTUM MARCUM in viâ Cursus.

SUPERIORUM FACULTATE.

Eminentissimo, ac Reverendissimo

DOMINO

FR. MARCO ANTONIO ZONDADARIO,

Hierosolymitani Ordinis Magno Magistro, Principi

Insularum, Melitæ, Gaulos &c.





JOANNES ANTONIUS CIANTAR.



Uamquàm libros Principibus Viris nuncupare, EMINENTISSIME DOMINE, consuetudo mihi

AD LECTOREM.

VIdebitur tibi, amice Lector, Libellus hic meus fortaſsè inæqualis; quum quædam Epigrammata intempeſtivè, quædam infirmiori ætate compoſuerim. Poteram (haud inficior) optima ſeligere, eaque ſola prælo tradere; ſed vellem, te meminiſſe illius Martialis verſiculi:

Æqualis liber eſt, Cretice, qui malus eſt.

Satis igitur erit mihi, Lector amice, ſi tibi nonnulla placuerint; bonus enìm Liber dici poteſt, in quo tàm bona legantur, quàm mala Epigrammata; ut ſcribit idem Poëta ad Lauſum: (*Libro* 7.

Triginta toto mala ſunt Epigrammata
Si totidē bona ſunt, Lauſe: Liber bonus eſt.

In calce Libri duos indices appoſui, unum Lemmatum, Rerum alterum; ut ſi quæ voces tibi difficiliores occurrant, faciliorem invenias explicationem. Errores, qui excudentium incuriâ exciderint, te benignè correcturum eſſe, confido. Vale.

Imprimatur

Si videbitur Reverendissimo P. Mag. Sac. Palatii Apost.

N. Baccarius Episc. Bojan. Vicesg.

EX mandato Reverendissimi P. Gregorii Selleri Sac. Palatii Apostolici Magistri legi, & perlegi Tres Epigrammaton Libellos conscriptos ab Illustrissimo D. Comite Joanne Antonio Ciantar. Nihil prorsùs adinueni, quod Religioni, bonis moribus adversaretur; proindè Opusculum plenum eruditione, & culturâ linguæ latinæ profuturum valdè puto ad promovendum Litterarum amœniorum studium. Datum Romæ in Monasterio S. Stephani suprà Caccum III. Kal. Junii MDCCXXII.

D. Ignatius Benedictus Xaverius Cellesius Congregationis Sylvestrinorum Lector Sac. Theologiæ in Monasterio S. *Stephani suprà Caccum de Urbe.*

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicat. Sacri Palatii Apost. Magister.

Ad

AD AUTHOREM.


EPIGRAMMA.

QUòd primos annos ſtudiis cum laude dicaſti,
Laus ingens fuerat, CIANTAR amice, tua;

Otia quòd Juvenis magnâ cum laude recuſas;
Hæc certè primâ laus tua major erit.

Et Juvenis ſcribis nunc digna Epigrammata laude:
Quid laudis reſtat jam tibi ferre ſeni?

P. Salvatoris Mauricii Soc. Jeſu, Litterarum Humaniorum Profeſſoris



Ad

Ad Eundem Romam proficiſcentem ſua Epigrammata prælo daturum.

EPIGRAMMA.

IBis, & invideo, Sacratam, CIANTAR, in Urbem;
Diverteſque, puto, Thyrſidos ad tumulum:

Jnvenies illic Phœbum, Muſaſque gementes,
Thyrſidos heu! dulces collacrymare ſonos.

Trade tuos libros Phœbo, Muſiſque legendos:
Sic facies, omnis cauſa doloris eat.

Ejuſdem



COM-

COMITIS JO. ANTONII CIANTAR EPIGRAMMATON

LIBER I.

Eminentissimo Melitæ Principi F. MARCO ANTONIO ZONDADARIO, *Magno Hierosolymitani Ordinis Magistro &c.*

EPIGRAMMA I.

Super Apollineam sedeo dum solus ad undam,
Curarum ut relevet murmura murmur aquæ;
En chorus Aonidum, Phœbo ductore, Sororum
Plausibus, & cantu personat omne nemus;
Excelsi facta alta Ducis, laudesque retexunt;
Nomen at Herois plectra canora tacent.
Accedo, nomenque Ducis, titulumque reposco,
Quisve sit Aonio plausus, honorque choro
Reppulit audacem, velut indignata Thalia;
Sed licèt iratæ vultus amantis erat.
Ecquid? ait: nescis, celebrant cùm maxima Musæ,
Non nisi de vestro plectra sonare Duce?

Ad LECTOREM.

EPIGRAMMA II.

SI tibi culta parùm occurrant epigrāmata quędam,
Ne damnes noſtrum, LECTOR Amice, librum:

Nam minùs amotis umbris pictura placeret;
Illuſtrat lætos nox inamœna dies.

Ad ALEXANDRUM MACEDONEM *Ad* ACHILLIS *tumulum lacrymantem.*

EPIGRAMMA III.

CUr gemis ad tumulum, fortiſſime Ductor ACHIL-(LIS?
Flebilis an-ne dolor, Regius eſſe poteſt?

Bellorum fulmen mœſtos langueſcat in imbres,
Irriget armatas lacryma ſparſa genas?

Tam decet in terris MACEDÛM fleviſſe Gradivum;
Quàm decet in Cœlo collacrymare Jovem.

Fors in ACHILLÆO relegis tua fata Sepulchro,
Diſcis & à tanto pulvere, poſſe mori?

Sed mortem timuiſſe negas. Tibi nomen ACHILLIS
Excitat invidiam, non facit urna metum,

Excitat invidiam, quod ACHILLEM cantet Homerus,
Mæoniæque cupis murmura plena tubæ.

Ma-

Macte animis. Meliùs venturo consulis ævo:
Hæ lacrymæ ad famam major Homerus erunt.

Ad LINUM

EPIGRAMMA IV.

INsula cognato surgit circumflua ponto
Tuto prompta sinu mille fovere rates;

Pensilis Autumnus scopulos, collesque coronat,
Æmulaque Autumni Flora, vel alma Ceres.

Navigat Augustam peregrinus Mundus ad Urbem,
Orbe ab utroque vehit prodiga Tethys opes.

Barbarici latè frænum, terrorque furoris .....
Sed, LINE, subrides, atque ais: Hæc MELITA est

Ad THEOPOMPUM.

EPIGRAMMA V.

SIc, THEOPOMPE, moves lentos de limine gressus,
Ut, passus, reputem, te numerare, tuos.

Tanto nec studio Geometra examinat agrum,
Quantâ tu gressus dividis arte tuos;

Noctes, atque dies non sic Libra alta recenset,
Expendis passus ut, THEOPOMPE, tuos.

Cùm tanto incedas ſtudio, THEOPOMPE, moràque,
Ingenium in pedibus te quis habere neget?

In CINNAM,

EPIGRAMMA VI.

GRande ſupercilium faceret ſi, CINNA, Catonem,
Iam poteras mundo tertius eſſe Cato.

Si qui ſe jactat, ſapiens meret ille vocari,
Diceris octavus, CINNA, mihi ſapiens.

Attamen ingenium ſi perquirantur, & Artes,
Nec dici ſapiens, nec Cato, CINNA, potes.

Ad PHILOMUSUM.

EPIGRAMMA VII.

CAlles, nemo negat, PHILOMUSE, Palæmonis artē;
Sed nec es orator, ſed neque ſcribis epos;

Attamen affectas vates, ac rhetor haberi;
Jam nec Grammaticum te, PHILOMUSE, puto.

In Funere THYRSIDIS LEUCASII *P. A.*

EPIGRAMMA VIII.

PArrhasiæ, Sacra turba, Deæ, nunc fundere fletus
Tempus, & impexis spargere colla comis.

Leucasius, modò vester honor, modò gloria, THYRSIS
Exanimis tumulo pulvis, & umbra jacet.

Vultus abest vultu; formæ sua forma recessit;
Et nullum frontis lumina lumen habent.

Siccine vox linguam, color os, calor ossa reliquit?
Sic dulcis linguæ conticuere modi?

Ploret Aventinis gemebunda in vallibus Echo:
THYRSIDOS heù! voces jam retulisse nequit.

Reddite nunc Vati flores, & dona Camœnæ:
Tot saltem flores ferte, quot ille dedit.

Ad OLUM.

EPIGRAMMA IX.

OLE, die plures vexant te, noćteque lites,
Et resonant causis compita multa tuis:

Patronus viduæ, patronus es, OLE, puellæ,
Contenditque cliens quilibet esse tuus.

Est

Est tibi nulla quies. Nostras his vocibus aures
Semper divexas. Ole, quiesce parum.

Ad Nævolum.

EPIGRAMMA X.

Cum minimi coxas leporis mihi, Nævole, dones;
Ilia semesi cùm mihi mittis apri:

Quòd grates non reddo, doles: vis, Nævole, grates?
Munera submittas, quæ mereantur: agam.

Æschylus *Poëta à Testudine ex Aquilę unguibus decidente occiditur.*

EPIGRAMMA XI.

Æschylus Hybleos dum fortè perambulat agros,
Atque cothurnatum mente revolvit opus:

Ales fida Jovi raptâ testudine nubes
Tranat, & hamatis unguibus hæret onus.

Vatis ut inspexit calvum caput, esse putavit
Marmor: ut in marmor vibrat ab ungue dapem;

Scilicet, ut saxo saxosam conterat escam:
Conterit heu! Sacrum testa animata caput.

Claudit opus plusquám tragico eheu fine Tragoedus,
Quem testudo volans alite morte necat.

Ad Ponticum *de* Ruffino.

EPIGRAMMA XII.

SArdoam Ruffinus equam mille aſſibus êmit,
Si dici nobis illa meretur equa,

Quâ Getulus orix membris eſt, Pontice, major;
Cui par Ichneumon, Pontice, corpus habet.

O quantùm Rhedæ Myrmecidis apta trahendæ
Illa foret, tantum ſi ſupereſſet opus!

De Cerea *Mortis Effigie.*

EPIGRAMMA XIII.

QUàm, Libitina, decet facies te Cerea! Quippe
Ceræ inſtar quævis, te properante, liquent.

Esau *lentis edulio primogenita;* Lysimachus *frigidæ hauſtu regnum vendidit.*

EPIGRAMMA XIV.

DIvitias Esau commutat lente paternas.
Majoris pretij non fuit ulla fames.

Lysimachus gelidâ regnum commutat & undâ.
Majori pretio non ſtetit ulla ſitis.

Vile-

Vilescunt gazæ, vilescunt regia sceptra,
Si lens plùs illis, plùs valet haustus aquæ:

Ad Labienum *de* Lauso.

EPIGRAMMA XV.

QUòd trahat ex imo suspiria pectore Lausus,
Et quod mœrenti triste quid ore notet:

Non illum crudelis amor, non torquet honorum
Ambitio; aut mediis naufraga navis aquis;

Sic tamen affectat dici miser, atque videri.
Quantùm vult credi, sit, Labiene, miser.

In illud Juvenalis: *Alea turpis, Turpe & adulterium mediocribus, hæc tamen illi Omnia cum faciant hilares, nitidique vocantur.*

EPIGRAMMA XVI.

SI scelus admittat Pauper, cita pœna nocentem
Opprimit, ac toto publicat orbe Reum.

Si crimen peragat dives, spendescit ab auro
Protinùs, & probrum nomen honoris habet.

Cogitur ad remos minimi Latrunculus auri;
Regnorum Prædo regia sceptra gerit.

Quàm

Quàm malè cæca ſuos ſors perfida perdit amantes!
Dum laudat ſonres, imperat eſſe reos.

In Posthumum.

Epigramma XVII.

NEſcis, quid tractent Arpinæ, Posthume, chartę;
Neſcis, quæ ſcribat carmina Virgilius.

Euclidis nunquam legiſti, Posthume, libros,
Quoſue Syracuſius ſcripſerat Aſtronomus.

Quæ referat Tacitus, referat quæ, Posthume, Florus,
Neſcis; nec ſunt hæc nomina nota tibi.

Quæ Barboſa refert, tractat quæ Bartolus, ipſe
Scis tantùm; imò te dogmata plura latent.

Hoc eſt, cur quemuis ſpernas, cur, Posthume, doctum
Te ſolum credas, curque ſupinus eas?

Si, quòd pauca tenes, doctum te, Posthume, cenſes,
Plurima quòd neſcis, dic mihi, qualis eris?

De Uva *depicta à* Zeuxide.

Epigramma XVIII.

DEpictam portat depictus Portitor Uvam:
Protinùs ad botros plurima currit avis;

Non pavet illa virum. Zeuxis malè pinxit, & Uva
Quàm benè picta fuit, tam malè pictus homo.

Ad Aulum.

EPIGRAMMA XIX.

ADquem pertineat domus, ad quem prædia ſpe-(ctent;
Atque Actor quis ſit, quis ſit &, Aule, Reus,
Cognoſcis: laudo; me vis hæc ipſa docere;
Nolo: tibi Baldus, ſitque Thalia mihi.

Ad Cinnam.

EPIGRAMMA XX.

CUm nunquam me, Cinna, manu, nec voce ſalutes;
Cúm comes interior tu mihi ſemper eas:
Gallorum morem, dicis, tibi, Cinna, placere;
Et credis faſtum diſſimulare tuum.
Galli, Cinna, ſolent ad Cœnam ſępè vocare:
Mos hic Gallorum non tibi, Cinna, placet.

Ad Fabullum *mendaciſſimum.*

EPIGRAMMA XXI.

SI cupis, ut quiſquam cuſtos credatur Honeſti,
Illum, tu dicas, eſſe, Fabulle, malum.

De

De EURICLÆO TCNTINIO *P. A.*

EPIGRAMMA XXII.

QUid meus EURICLAEUS agat? dic, noſtra Thalia:
Scribit Aventino carmina digna jugo?
An fovet ille graves generoſo pectore curas?
Aſſiſtit Domino proximus ille ſuo?
An recolit Petri, an Pacis, Templumne Minervæ?
An terit Exquilias, Flaminiamne viam?
Quid tuus EURICLAEUS agat? vis ſcire, Poëta?
Fagindum aſſiduis vocibus ille ſonat.

Ad CHÆRÆMONEM.

EPIGRAMMA XXIII.

TUrritos circumtollit tua Patria muros,
Atque frequentatas pandit ubique vias.
Obiicit elatos imitata palatia colles,
Dædaleâque parat ſtructa theatra manu:
Sed, veluti Cycnus niger, eſt ibi rarus Amicus:
Patria, CHAERAEMON, nil habet ergò tua.

Ad MUNNAM.

EPIGRAMMA XXIV.

SÆpè Viris jactas ſummis te, MUNNA, placere;
Cenſeſque hoc laudem conciliare modo.
Illis, non admiror ego, te, MUNNA, placere:
Nempè ſolet ſummis ſcurra placere Viris.

Alcmanus Poëta LYRICUS, *qui primus amatorias cantilenas invenit, phthiſicus mortuus eſt.*

EPIGRAMMA XXV.

QUi primus cecinit verſus, Alcmanus, amoris,
Conſumptus phthiſicâ Tartara febre petit.
Verſibus ille quidem haud ſolùm cantavit amores,
Sed docuit, quantâ febre fatiget amor.

Aliud.

EPIGRAMMA XXVI.

FEbre perit phthiſica, cecinit qui primus amores,
Et meritò: nam non eſt, niſi febris, amor.

Ad PONTICUM.

EPIGRAMMA XXVII.

TAm benè tu leporis lumbum diſcindis,& armos,
Vt tibi vel Tripherum cedere poſſe putem.

At das convivis fruſtum, quod reſpuis ipſe,
Quodque placet, fruſtum, PONTICE, ſolus edis.

Vellem, te potiùs nunquam didiciſſe ſecare,
Quàm ſolùm jugulo ſcire ſecare tuo.

Ad COTILUM.

EPIGRAMMA XXVI.

DIc mihi, cur adeò defendas, COTILE, mœchos?
Num quia caſta tibi, COTILE, vita placet?

De HERMOCRATE, *qui moriens ſe ſibi Hæredem teſtamento ſcripſit.*

EPIGRAMMA XXIX.

HERMOCRATES ſtygias demigraturus ad undas
Hæredem tabulis ſe ſibi ſubſtituit.

Fama Prienæum ceſſet memorare Biantem;
Hic verè eſt, ſecum qui bona cuncta tulit.

In Philomusum.

EPIGRAMMA XXX.

NOn es, ſed ſperas, fore te, Philomuse, Tribunum;
Jam tamen attollis grande ſupercilium.

Creditur, obtento, vanus, qui turget honore;
Dum nihil es, verùm tu, Philomuse, tumes.

Ad Marcellum *de* Codro.

EPIGRAMMA XXXI.

SIc narrare ſolet Codrus, Marcelle, futura,
Ut res, quas nobis ſæcula priſca ferunt.

Ne ſtupeas: nam cùm ſit lumine læſus utroque,
Tireſiæ mentem, credit, habere ſenis.

Ad Mathonem Chymicum.

EPIGRAMMA XXXII.

ARte, Mathon, vanâ dum tu diteſcere tentas.
In fumos cenſum cernis abire tuum.

Qui furor eſt, nummos ut quæras, perdere nummos?
Vis fieri pauper, dives ut eſſe queas?

Ad SEXTILIANUM *de* BITHYNICO.

EPIGRAMMA XXXIII.

ACcinctus multis ibat BITHYNICUS armis:
Laxasset gerulos sarcina ahena duos.

Vidit, & irrisit prompto Nigrina cachinno;
Quin ait: Orlandus sic furiosus erat.

Iratus nudum strinxit BITHYNICUS ensem;
Altera sed vectem sustulit iliceum.

Quid credis, tantâ fecit BITHYNICUS irâ?
Arripuit subitam, SEXTILIANE, fugam?

In CINNAM.

EPIGRAMMA XXXIV.

HAud profers verbum, quod non sit felle refertum,
Nec scis innocuis ludere, CINNA, jocis.

Non sic Archilochus fertur punxisse Lycamben,
Nec tàm consuevit rodere, CINNA, Theon,

Quæ tibi pro tanto debetur pœna furore?
Tu tibi tortor ades, te tua lingua ferit.

Ad Tullum.

EPIGRAMMA XXXV.

NUnquam laudabas uxorem ducere, Tulle;
Nunc laudas: illam ducere, credo, cupis.

Ne mala sit, caveas; ut sit bona, sed quoque cures:
Nilque malâ est pejus; nilque bonâ est melius.

In illum Iuvenalis versiculum:

Græculus esuriens in Cœlum, jusseris, ibit.

EPIGRAMMA XXXVI.

DIfficile est Græco nihil: & cum torqueat illum
Dira fames, jubeas, astra suprema petet.

Si verum Vates: quando non Græculus ibit
In Cœlum, nunquam si caret ille fame.

In Fortunam.

EPIGRAMMA XXXVII.

DIc mihi, mentitum, fallax, mutabile Numen,
Dic, Fortuna, mihi, dic mihi, cæca Dea:

In te quid Musæ, aut blandus commisit Apollo?
Quid miseri Vates? Dic mihi, cæca Dea:

Cur

Cur tantùm indoctis tua perdita munera donas,
Facundisque noces? Dic mihi, cæca Dea....

At quæ turbavere meam deliria mentem?
Quid juvat in cęcam sic fremuisse Deam?

Ad MILITES *Cartaginenses abscissis Mulierum crinibus arcus tendentes.*

EPIGRAMMA XXXVIII.

DUm vos fœmineis armatis crinibus arcus,
Mittitis & certâ spicula certa manu:

Hostes accepto vestri jam vulnere discant;
Fœminei crines quot mala ferre queunt.

Ad PHILODEMUM.

EPIGRAMMA XXXIX.

DOnanti nihilum requiem, PHILOMEDE, precaris,
Ast aliquid danti nil, PHILODEME, refers.

Defunctis requiem non vivis more precamur;
Credo, nihil donans, non mihi vivit, ais.

Ad LUPERCUM.

EPIGRAMMA XL.

QUam solemnibus induis diebus,
Ornatissima vestis est, LUPERCE:

Aſt antiquior eſt, vetuſtiorque,
Quàm Pellenica læna. Vis, ut illam
Commendem? fuerat, LUPERCE, pulchra.

Ad NÆVOLUM *de* CINNA.

EPIGRAMMA XLI.

HÆredem Fauſti, ſperans, ſe, CINNA, futurum,
Miſit ei largâ munera crebra manu.

At moriens obolum Fauſtus nec donat Amico.
Sic etiam lucrum, NÆVOLE, CINNA facit.

JOVIS *Simulacrum à* PHIDIA *inchoatum Fulmineo ictu perficitur.*

EPIGRAMMA XLII.

PHIDIACA ſpirans Simulacrum nobile dextrâ
Æthereo Divûm vidit ab axe Pater,

Et mox Artificis cœpit liveſcere famæ;
Nondùm perfectum jamue timebat opus.

Indè ait: à noſtra peragatur Imago ſagitta;
Haud ulli detur poſſe creare JOVEM.

Ad

Ad Calocissum

EPIGRAMMA XLIII.

COnflictus celebres narras, Calocisse, colono;
Commendas forti ſegnia rura duci.

Phœbæo vati mollem deſcribis alutam;
Sutori miſero diſticha multa canis.

Quis furor eſt, Calocisse, tuus? Sit pœna furori:
Nolit de dapibus verba movere coquus.

Ad Faustinum

EPIGRAMMA XLIV.

CÚr inſectetur noſter, Faustine, libellus
Plures, at laudet Nomina pauca, petis?

Dicam: quàmplures occurrunt ſtigmate digni,
At pauci, meritò quos celebrare potes.

Ad Demosthenem

Ex calamo venenum haurientem.

EPIGRAMMA XLV.

NUmquid, Cecropiæ, Princeps facunde, Minervæ,
Uſibus his calamum vis adhibere tuum?

Qui tibi victurum peperit per sæcula Nomen,
Auctorem calamum num decet esse necis?

Aliud

Ad Eundem.

EPIGRAMMA XLVI.

QUâ, Libitina, viâ tentat tua funera? Cuspis,
Quæ vitam peperit, nunc parit ipsa necem?
Aut non debueras unquam mala Fata subire,
Aut alio Fatum triste subire modo.

Aliud

Ad Eundem.

EPIGRAMMA XLVII.

CUm vulgata fuit totum tua Fama per Orbem,
Famæ inviderunt improba Fata tuæ.
Hinc statuere necem tetro sic ore locuta:
Per calamum vivat, per calamum pereat.

In Philomusum.

EPIGRAMMA XLVIII.

ARtem nugarum dicis, Philomuse, Poësin,
Cùm nunquàm fuerit notus Apollo.
Scire tamen nugas facile est: Philomuse, Poëta
Cur non es? Nugæ te, Philomuse, latent.

Ad

Ad Herostratum, *cúm Dianæ Ephesinæ Templum incenderet.*

EPIGRAMMA XLIX.

SCilicet æternam ventura in ſæcula famam
Per fas, atque nefas, ſtulte, parare cupis?

Hinc Triviæ occultas vibras in Fana favillas;
Jnclyta nocturno Fana cremata dolo.

Jmmortale tuum vivet per ſæcula nomen,
Sed magis æternum nomine crimen erit.

Ad Callistratum.

EPIGRAMMA L.

INgenti ſi quis careat, Callistrate, cenſu,
Protinùs indoctus creditur ille tibi.

Forſan Doctrinæ Paupertas ipſa repugnat,
Et modò divitibus docta Minerva favet?

Diogenem quandoque capit verſalis ædes;
Sæpèque Chryſippum trita lacerna tegit.

Ad Faustum *de Nigrina.*

EPIGRAMMA LI.

CUr non eſt unquam Nigrinam, Fauste, videre?
An quia pulchra nimis, vel quia pulchra nihil?

Ali-



ALEXANDER MAGNUS, & DIOGENES CYNICUS *eodem anno, eodemque die vitam cum morte commutaverunt.*

EPIGRAMMA LII.

PArte licèt variâ lux una expellit ab Orbe
Pellęum Juvenem, DIOGENEMQUE ſenem.

Portitor Infernus cymbâ dum portat utrumque,
Conſortem noſcit vectus uterque ſuum.

Siccine, Dux Macedo, cadit hùc Victoria Mundi?
Omnia qui potui vincere, vincor? ait.

Alter ait: ſequitur CYNICOS hæc meta labores,
Tàmque mihi vanum ſpernere cuncta fuit;

In POSTHUMUM.

EPIGRAMMA LIII.

CÙm tibi, Marcellum ſcripſiſſe poëmata, dicam,
POSTHUME, Palladiâ non renuente Deâ;

Cùm tibi cordati præclarè geſta Sabelli,
Doctaque Fauſtini, POSTHUME, dicta feram:

Protinùs exclamas: mentiris. POSTHUME, tecum
Et ſi victuro lis mihi nulla placet;

Vis tamen, ut dicam nonnunquam, POSTHUME, verum?
Nil facis, aut ſcribis, nobile nilque refers.

Ad

Ad LIGURINUM.

EPIGRAMMA LIV.

CRiſpinum damnas, faciat quòd diſticha plura;
Si potes, hoc vitium ſit, LIGURINE, tibi.

De PHYLLIDE.

EPIGRAMMA LV.

CÙm vidiſſet Amor formoſam PHYLLIDA, ſumpſit
Protinùs ardenti flammea tela manu:

Enixuſque dolis cor mille ferire Puellæ
Miſit ad indictum ſpicula nulla ſcopum;

Dein ſibi deſperans in duro pectorè ſedem
PHYLLIDOS in media fronte moratur adhuc.

Ad CALLIODORUM.

EPIGRAMMA LVI.

QUot mihi, CALLIODORE, pilos tua dextera tondet,
Tot facit in mento ſtigmata dira meo.

Parce meam lacerare cutem, munuſque relinque:
Poſthàc Chirurgus, non mihi Tonſor eris.

Ad

Ad Sortem.

EPIGRAMMA LVII.

NIl mihi, Sors, tecum: felicem me tria reddunt,
Prædia pauca, Domus paruula, multa Quies.

Ad Philetam Coum Elegiographum, *qui fuit corpore tàm tenuvi, ut plantis suis plumbum adhiberet, ne ventorum flatu raperetur.*

EPIGRAMMA LVIII.

NOn ego te laudo, munis quòd pondere plantas,
Ne rapiat corpus mobilis aura tuum.
Quod levis es, vitium haud est, sed dos rara Poëtę:
Nimirùm Vates sæpè vocantur (*) aves.

Ad Alphesiboeum Carium, *Custodem Arcadiæ, Somnium ab* Uranio Tegæo *in Arcadum consessu narratum, eleganti Eclogâ interpretantem.*

EPIGRAMMA LIX.

TAm benè Tegæi Pastoris Somnia, Custos;
Explanas, veluti Morpheus ipse fores.

Non

(*) *Poëtæ Musarum aves à Theocrito vocantur.*

Non promiſſa tibi debentur pocula tantùm,
Aſt etiam capiti laurea ſerta meres.

Illa tibi debet ſpondens TEGÆUS; at iſta,
Crede mihi, debet gratus Apollo tibi.

In illum Juvenalis verſiculum: *Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.*

EPIGRAMMA LX.

QUid magis optandum nobis eſt corpore ſano?
Mente quid incolumi dulciùs eſſe poteſt?

Eſt felix, in ſe qui jungere poſſit utrumque,
In terris eſt, cur liveat ille, nihil.

Ad BITHYNICUM.

EPIGRAMMA LXI.

CUm Peluſiacam comedis, BITHYNICE, lentem,
Vel fatuas bætas, prototomoſque rudes:

Manducaſſe refers nobis, BITHYNICE, mullos,
Oſtrea, boletos, nectareoſque favos.

Fercula quìd jactas, tacito quæ ventre teguntur?
En te mendacem ſciſſa lacerna probat.

De Aulo.

EPIGRAMMA LXII.

Esse quid hoc credam, quòd cuivis invidet Aulus?
Ritè mihi quovis creditur inferior.

Ad Librum.

EPIGRAMMA LXIII.

I, Liber ad Templum, quod Caci à nomine dicunt:
Jnvenies plures, Nomina Sacra, Patres.

Plures inter adest, cui mens plenissima Musis,
Palladis excelsæ sed magis igne calens.

Invenies illum doctâ Mysteria mente
Fortè expendentem: protinùs inde redi.

Si tamen à Studiis tranquillâ mente vacabit,
Illius adpropera protinùs ipse sinum:

Nec redeas ad me, quàm te laudaverit, antè;
Cùm placeas illi, sat mihi charus eris.

CO-

COMITIS JO. ANTONII CIANTAR EPIGRAMMATON

LIBER II.

Ad Eminentiſſimum Principem F. MARCUM ANTONIUM ZONDADARIUM, *Melitæ Littora novo portu ad exonerandarum navium commodum ampliari curantem.*

EPIGRAMMA I.



Lurima non deerat ſtatio benè fida carinis,
    Nec deerant roſtris Littora tuta tuis;

At tu, qui ſemper moliris maxima, Princeps,
    Quæ credebantur plurima, pauca putas:

Portibus hinc portus regali munere curas
    Augeri; ac addis Littora Littoribus;

Littora dum creſcunt, decreſcunt Tethyos arva;
    Atque, ubi ſaxa rigent, æquoris unda fuit.

Commoda ſic auges, minuis dum navibus æquor,
Cùm poſſint littus tangere roſtra novum.

Sentiat iſta redux ingentia munera Nauta;
Laudibus atque ſonent Littora cuncta tuis.

Ad CINNAM.

EPIGRAMMA II.

(cere,
CUm nequeant, quæcunque legis, tibi, CINNA, pla-
Cur non, CINNA, potes ſcribere, quæ placeant?

Admodum Reverendo P. AUGUSTINO *á Lucano, Ordinis quem vocant, Capuccinorum, Concionatori eximio.*

EPIGRAMMA III.

FAcundo, AUGUSTINE, tonas cùm fervidus ore,
Lætitiâ reples, cordaque noſtra metu.

Noſtra beat tua nimirùm Facundia corda;
Noſtra tuæ terrent conſcia corda minæ.

Non laudata ſatis doctæ Miracula linguæ!
Scis terrere ſimùl, ſciſque placere ſimùl.

Ad

Ad Carolum V. *horologium in annulo gestantem.*

EPIGRAMMA IV.

ANnulus aurato claudens in carcere mortem
Servabat Pœno dira venena Duci;

Sed tibi labentes tuus indicat annulus horas,
Et tibi Cæsareos dividit usque dies.

Mortifero gestat Tyrius Dux toxica gyro,
Ut possit fato consuluisse suo.

Tu captiva geris Regali tempora in auro,
Ut palmas possis congeminare tuas.

Ad Pontilianum.

EPIGRAMMA V.

DUm jactas magno scriptas à Principe chartas,
Quas ab Hyperboreo nuncius axe tulit:

Pane obsignata affertur tibi pagina manso,
Quæ venit è patrio, Pontiliane, jugo;

Illa repentinum tibi suscitat ore ruborem;
Sed subitos motus dissimulare cupis;

Quin ais: à nostro scripta est hæc charta colono,
Qui fœcunda mihi sedulus arva colit.

Cur

Cur ergo tanto ſunffunderis ora rubore?
Plurima te forſan jugera habere pudet?

A*d* QUINCTIAM.

EPIGRAMMA VI.

CUm poſſent Latiæ tibi, Matronæque Sabinæ
Cédere, quaſque canit, Quinctia, fama vetus;
Cùm poſſes formâ victricem vincere Divam,
Quæ pomum Phrygio Judice pulchra tulit:
Quòd non ipſa tuo valeas placuiſſe marito,
Ne ſtupeas: illi es, Quinctia, diſſimilis.

A*d* CRISPUM *de* AMILLO.

EPIGRAMMA VII.

NEc mala, nec mediocria carmina ſcribit AMILLUS,
Qualia, CRISPE, facit? Peſſima ſola facit.

Ad CLEOPATRAM *aſpidibus corpori admotis ſe interficientem.*

EPIGRAMMA VIII.

OPtatam, Regina, necem quòd quæris ab angue,
Ut poſſis ſtygias libera adire domos:

Nil

Nil miror. Vitâ Libertas charior ipsâ est,
Quodque facis, magnus fecerat ante Cato.

Sed si tantus amor te Libertatis adurget,
Cur vitiis servis; criminibusque tuis?

Ad Faustum de Lupo.

EPIGRAMMA IX.

QUæ Pius Orator rostro dicebat ab alto,
Scribebat dextrâ quàm leviore Lupus:

Postquám scripta ferè vigesima charta fuisset;
Quæ, rogo, scripsisti, dic mihi verba, Lupe.

Continuò Lupus exclamat: pulcherrima verbâ!
Hoc unum scivit dicere, Fauste, mihi.

Ad Cotilum.

EPIGRAMMA X.

PArcè manducas, & potas, Cotile, parce:
Quilibet hoc novit: Cotile, parcus homo es.

Verùm ne placeas nimiùm tibi, Cotile parce,
Nam qui parcus homo est, Cotile, avarus homo
(est.

Ad Euriclæum *Tontinium P. A.* *Cùm* Romam *rediissem*.

EPIGRAMMA XI.

POst lustrum Dominos reviso Colles,
Post lustrum recolo bonos sodales
[Quos inter prior, Euriclæe, fulges]
Quos dum non licuit videre, tristis
Tot noctes ego, tot dies trahebam,
Quot brumæ mihi quinquies peractæ;
Æstatesque dedere quinque. Fata,
Illos ne mihi computetis annos:
Non vixi, procúl Urbe cùm morabar.

In Illud Juvenalis.

Se Judice nemo nocens absolvitur.

Ad Calocissum.

EPIGRAMMA XII.

CRimina si peragas, nunquàm, mihi crede, care-
Judice, nec Pœnà, nec Calocisse, Reo. (bis
Quippè tuum tibi crimen erit promptissima Pœna,
Conscia mens Judex, Arbitriumque Reus.

Ad

Ad PONTICUM *de Lauso.*

EPIGRAMMA XIII.

HAnc urbem placuisse negat sibi, PONTICE, Lausus;
  Urbe sed hac nunquàm, PONTICE, Lausus abit.

Andabates Gladiatores clausis oculis dimicabant.

EPIGRAMMA XIV.

DIcite, cur oculis miscetis prælia clausis,
  Andabates? Vobis lumina fortè nocent?

Nùmquid ut adspectum Mortis fugiatis acerbum?
  Dirigat aut vestras Sors ut amica manus?

Non ita; sed gravius meditatur dextera vulnus:
  Nostis, quæ pariat vulnera cęca manus.

Ad LIGURINUM.

EPIGRAMMA XV.

CUm sis tam felix, ut possit Lucius ipse
  Sylla tibi agnomen cedere jure suum:

Cur semper quereris, jactas suspiria, ploras?
  Vivere vis lætus? Sis, LIGURINE, miser.

Ad Sextum.

EPIGRAMMA XVI.

QUòd tua, Sexte, magis placeant, quàm carmina
Ne Populi vanâ laude ſupinus eas: (noſtra,

Victus ab Alcamene, ut perhibent, fuit (*) Æmulus
Quamvis(*)hic Phidiæ proximus arte foret(alter,

Laudentur tua, Sexte, magis, quám carmina noſtra,
Dum ſis Alcamenes, ſim (*)Æmulus alter ego.

In *Funere P.* Aloysii *Vuzzini Soc. Ieſu, Morum integritate Inſignis.*

EPIGRAMMA XVII.

FLete Decus veſtrum, Virtutes flete ſorores:
Communis vobis cauſa doloris adeſt.

Deſerit heu! Terram, properat qui vivere Cœlo;
Qui vobis auxit luminà, luce caret.

Quo poſthàc niteas verecunda Modeſtia vultu?
Quove magis regnes flammeo in ore Pudor?

Quâ meliùs vigeas princeps Prudentia mente?
Pectora quæ potiùs Candor habere velis?

Flete

(*) *Agoracritus, cujus opus fuiſſe dicitur Rhamnuſia Veneris Simulacrum.*

Flete Decus vestrum, Virtutes flete Sorores:
Communis vobis causa doloris adest:

In CASTRICUM

EPIGRAMMA XVIII.

CInna solet longas epulis producere noctes:
CASTRICE, jam novi, est Cinna gulosus homo.

Mœchatur Ligurra magis, quám Claudius olim;
CASTRICE, Ligurra est luxuriosus homo.

Famosum furtis Verrem Sertorius æquat:
Fur Sertoris est: CASTRICE, nemo negat.

Helluo tu non es, nec Fur, nec, CASTRICE. Mœchus
Vis, dicam, quid sis? Es vitiosus homo.

Ad ANACREÒNTEM *Poëtam passæ uvæ acino suffocatum.*

EPIGRAMMA XIX.

QUòd fauces acinus passæ tibi strangulat uvæ,
Ne doleas: fructus namque necare solent.

Primus Adam sensit lethalia vulnera pomi;
Nunc pomo ipse peris illius, atque tuo.

Aliud

Ad EUNDEM.

EPIGRAMMA XX.

CUm nil hausta tibi nocuissent dolia centum,
Enecat en acino te uva inimica suo.
Accidit in puncto, quod non contingit in anno:
Effundens vitam dicere jure potes.

Ad GELLIAM.

EPIGRAMMA XXI.

COnsulis in speculo creratum, GELLIA, vultum;
Nempe placere aliis semper, ubique placet.
Tolle tuas artes; sincerumque indue vultum:
Ut placeas, vultu quære placere tuo.

Ad FAUSTUM.

EPIGRAMMA XXII.

QUæ te,FAUSTE,rogo,donas mihi,FAUSTE,libenter;
Cùm nil, FUSTE, rogo, das, mihi, FAUSTE,nihil.
Crede mihi, quamvis placeant concessa roganti,
Quæ data sponte,magis munera, FAUSTE, placent,

In illud Juenalis: *Mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula.*

EPIGRAMMA XXIII.

QUantula sint hominum corpuscula sola revelat
Urna; sed ex urna discere quemque decet.

Felicem Alcinoum convivia splendida jactant;
Sed miserum Vermes, queis datur esca, probant,

Scire cupis quid sis, Mortalis? Consule Mortem:
Ista dabit sortes noscere posse tuas.

Ad Nigrinum.

EPIGRAMMA XXIV.

AD cœnam me sæpè vocas, Nigrine; sed ipse,
Quas edo, bucellas sedulus enumeras;

Sed vis, ut laudem, quidquid laudaveris ante;
Serviat impensis ut mea capsa tuis.

Convivam tibi quære novum, Nigrine, deinceps:
Viliùs esurio, commodiùsque domi.

Ad N., & N. N. fratres invicem charos.

EPIGRAMMA XXV.

UNanimes sileat felix Trinacria Fratres;
Nec jactet Natos credula Leda suos;

Sed

Sed neque Tantaleos geminatum lumen Atridas
Carminibus Vates ultima in aſtra ferant.

Omnis amor veſtro cedat fraternus amori:
Eſtis fraterno Vos in amore Duces.

Ad GALILÆUM TELESCOPII *inventorem, cæcum emortuum*.

EPIGRAMMA XXVI.

NAturam læſiſſe mihi, GALILÆE, videris,
Dum reſerata vitro cernimus aſtra tuo.

Sed pœnam dignam perſolvis crimine: crimen
Eſt vidiſſe nimis, pœna videre nihil.

Aliud

Ad EUNDEM.

EPIGRAMMA XXVII.

QUæ quis dat, perdit: mirum, GALILÆE, quid ergo,
Lumina quòd perdas, lumina cum dederis?

Ad SABELLUM.

EPIGRAMMA XXVIII.

QUinctum, quem proba diligebat uxor,
Immatura premunt, SABELLE, Fata.

Sex-

Sextus, quem cruciat, teritque ſemper
Coniux improba, vivit, ac ſeneſcit.
Quem credis miſerum magis, SABELLE?
Feſtina abripuere Fata Quinctum;
Sed Sexto rabioſa vivit uxor.

A*d* CINNAM.

EPIGRAMMA XXIX.

QUalia ſint, oras, dicam, tua carmina, CINNA:
Qualia ſint, nequeo dicere, CINNA, tibi.

A*d* CIRCEM ULYSSIS *ſocios in ſues mutantem.*

EPIGRAMMA XXX.

IMproba, cur ſocios, CIRCE, ſic vertis ULYSSIS
Anne decet tantos forma ſuina viros?
Aut nunquam formam Danai mutare merentur;
Aut ſolam formam Vulpis habere decet.

De PHYLLIDE.

EPIGRAMMA XXXI.

THeſſalico PHYLLIS comebat pectine crines,
Queis Berenicæas cedere credo comas.

Cor

Cor tentavit Amor blandæ innodare Puellæ;
Hæſit at implicitus Phyllidos ipſe comâ.

Ad Ponticum.

EPIGRAMMA XXXII.

Quidquid Romanâ (*) Clemens decernat in aula;
Quidquid Roma ferat, quidquid & alter agat;

Quid Carolus Rheno ſtatuat; quæ jura Philippus
Sanciat Hiſpanis; Sarmata quęque gerat;

Milite quàm multo properet Lodoicus in hoſtes;
Et quibus inſiſtat Turcica navis aquis;

Anglorum quò claſſis eat; quo fœdere ſeſe
Hollandi jungant: tu nova cuncta refers;

Et ſemper jactas te nil neſcire: fatemur,
Omnia ſcis; ſolum hoc, Pontice, diſce: Tace.

Eminentiſſimo Principi, Josepho Cardinali Pereira.

EPIGRAMMA XXXIII.

Nondum Roma tuos inſpexerat anxia vultus,
Sed jam Virtutes ſenſerat illa tuas.

Cer-

(*) *Clemens* XI. *quo Regnante præſens Epigramma compoſuit Author*, 14. *annos natus*.

Cernere te Domini Colles, te Tibridis undæ,
Cernere Purpurei, te cupiere Patres.

Lusiacus Romæ votis Regnator adhæsit,
Et tibi Romuleas jussit adire vias.

Exoptate venis: Virtutes Maxima Roma,
Quas mirabatur, cœpit amare tuas.

In imperitum MEDICUM.

EPIGRAMMA XXXIV.

CUm nec sis unum doctus depellere morbum,
Cedere posse tibi credis Aristogenem.
Sed confers eadem cujvis medicamina morbo:
Jam jam jure tibi cedit & Hippocrates.

Ad FLORIDIANUM.

EPIGRAMMA XXXV.

CUr Doctos nihilum soleat Fortuna juvare,
Tu me continuò, FLORIDIANE, rogas.
Hos Fortuna juvat, quibus assolet ipsa nocere;
Extra Fortunam est, FLORIDIANE, Sophos.

Ad Cleanthem, *Zenonis præcepta in Cadaverum offibus scribentem.*

EPIGRAMMA XXXVI.

QUæ tibi dictabat Zeno præcepta Magifter,
Hæc vitam poffunt inftituiffe tuam;
Attamen extinctis cùm fcribis in offibus illa,
Vivere tu difcis, difcis & ipfe mori.

Ad Bithynicum.

EPIGRAMMA XXXVII.

CArmina dum recitat Quinctus, Bithynice, plaudis;
Dum recitat Sextus vel meliora, taces.
Plura fuo Quinctus fuperat patrimonia cenfu;
Sed Sextum fœda, & fciffa lacerna tegit.
Ut puto, non verfus laudas: Bithynice, laudas
Divitias: multùm tu, mihi crede fapis.

Ad ORMIRUM *Promacormium P. A. cùm fundaretur Panormi Colonia Arcadum Oretęa.*

EPIGRAMMA XXXVIII.

O, Quàm, ORMIRE, tuus te Vate superbit ORETUS,
Discit & é plectro murmura blanda tuo!

Quin properant istùc dulci modulamine raptæ
Collis Aventini, Turba diserta, Deæ.

Auguror: Hospitibus fueris gratissimus Hospes;
Ac hilaris tumidis crescet Oretus aquis.

Ad PONTICUM *de* NIGRINA.

EPIGRAMMA XXXIX.

CÙm NIGRINA domi est, vestes induta Sutrinæ
Ancillæ, verrit, net, coquit, atque lavat:

Cùm verò vicos incedit lenta per Urbis,
Excedit luxus tunc, Sybarita, tuos.

Quarè si faciat, perquiris, PONTICE? dicam:
Illa foris Domina est, PONTICE; serva domi,

Ad Alexandrum Macedonem.

EPIGRAMMA XL.

PIngere, Alexander, poterat te ſolus Apelles;
In gemma ſolus ſculpere Pyrgoteles.

Marmore Lyſippus poterat te fingere ſolus;
Sed de Te quævis ſcribere dextra poteſt.

In illum Iuvenalis verſiculum:

Quædam cum primâ reſecentur crimina barbâ.

Ad Laberium.

EPIGRAMMA XLI.

IGnoſcenda, puto, pueris ſunt crimina quædam;
Non ignoſco tibi ſed, Laberi, hæc eadem.

Cùm primâ hæc debent reſecari crimina barbâ;
Ter decies barbam, nec ſemel illa ſecas.

De qnodam Critico.

EPIGRAMMA XLII.

INtrat Ariſtarchus: quivis ſua carmina celet;
Ite procul Muſæ, dulcis Apollo procul.

Hic

Hic mala contemnit, ſi ſint bona carmina, livet;
Contemptu lædit; non juvat invidiâ;

Sed juvat invidiâ: quivis ſua carmina dicat;
Non poterit livens carmina veſtra pati.

Ad NATTAM, *cujus navis ſale onerata Maris procellâ obruitur.*

EPIGRAMMA XLIII.

QUòd tua ſpumoſis navis ſubmergitur undis,
Injuſtum noli dicere, NATTA, Mare:

Nempè ſimùl vidit plenam ſalis ire carinam,
Quam, repetit mercem, noverat eſſe ſuam.

Ad CASTRICUM.

EPIGRAMMA XLIV.

CUm mihi miſiſſes triginta, CASTRICE, fungos,
Cur vis, me grates reddere mille tibi?

SOLON *Athenienſis Imperium Patriæ recuſat; ſed illam opportunis Legibus inſtruit.*

EPIGRAMMA XLV.

REſpuit Imperium Patriæ; non reſpuit illi
Auſteras Leges inſtituiſſe SOLON.

Imperat en Patriæ, licèt ille prςesse recuset,
Dum Patria acceptis Legibus obsequitur.

Ad PONTILIANUM *de* AMILLO.

EPIGRAMMA XLVI.

PAuperibus nummos largiri vellet Amillus,
Sed non largiri, PONTILIANE, suos,
Quas habeat Veneres aliena pecunia, nescis:
Cum Juvenale meo dicere jure potes.

Ad GALLAM.

EPIGRAMMA XLVII.

QUòd tibi nil donem, quereris, non, GALLA, rogatus;
Hoc verò nulla tu ratione facis.
Quid donare queo tibi, quid non, GALLA, rogatus,
Si quidquid cernis, GALLA, rogare soles?

PERILLUS *in Taurum æneum, quem ipse fabricaverat, conjectus est*.

EPIGRAMMA XLVIII.

URitur in Tauro, Taurum, qui struxit ahenum,
Mugitus tollens primus ad astra suos.
Quilibet Artifices possunt cessisse Perillo:
Iste suum solus morte probavit opus.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA XLIX.

CLauditur in Tauro, quem ſtruxerat ipſe, Perillus:
Quam fecit, verè hic incidit in foveam.

Ad CALLISTRATUM *de* LIGURRA

EPIGRAMMA L.

CUm cœnat Ligurra domi, CALLISTRATE, tantum
Ille cibi, quantum noſtra catella, capit;
Et ſemper ſtomachi vitium cauſatur; at idem
Quando foris cœnat, fercula cunctavorat
Ligurram vocet ad lautam, CALLISTRATE, cœnam,
Illum, ſi, ſtomacho, quiſque, valere, cupit.

Ad JOSEPHUM *filiolum meum, quinque dies natum Terram cum Cœlo commutantem*.

EPIGRAMMA LI.

DEſeris heu! mœſtum, dulciſſime Nate, Parentem,
Poſtquàm luxiſſet vix tibi quinta dies.
Quam mihi, ſi meditor vitam, quam vivis Olympo,
Vixeris ipſe parùm, vixeris ipſe nimis.

Ad D. PANNUTIUM, *qui, cùm* ONOPHRIUM *Eremitam reperiſſet, illum extimuit, Satyrum eſſe ſuſpicatus*.

EPIGRAMMA LII.

PANNUTI, Satyrum villoſo à corpore ducis,
Quem potes Angelicum dicere jure Virum.
Ne timeas faciem: properes, Hominemque ſalutes;
Cùm fari incipiet, ſat tibi notus erit.

Ad LABIENUM.

EPIGRAMMA LIII.

TEr centena tibi donat, LABIENE, Gemellus;
Lege ſed hac, referas ut nova cuncta ſibi.
Datque tibi, LABIENE, domum; hac ſed lege, fruatur
Ut priús ille tuâ terque, quaterque domo.
Occurris cuicumque, refers tu dona Gemelli,
Cui vel Lucullum cedere poſſe, putas.
Crede mihi, LABIENE, nimis tu falleris: ille eſt
Munificus, munus qui ſine lege dedit.

Ad OTHONEM IMPERATOREM, *ad Prælium ſpeculum geſtantem.*

EPIGRAMMA LIV.

CUr ſpeculum geſtas migrans ad prælia, Princeps?
Non Mars iſta tibi, ſed Venus arma dedit.

Ut puto, non hoſtes; ipſum vis vincere Martem;
Hoc eſt, quod tecum Cypridos arma geras.

In NÆVOLUM.

EPIGRAMMA LV.

CUm tu naufragia, ærumnas, incendia, mortes
Semper lugubri, NÆVOLE, voce ſones:

Occurrit tibi, miraris, quòd nemo libenter?
Si tot narrares gaudia, te fugerem.

In illud Juvenalis: *Parcit Cognatis maculis ſimilis fera.*

De BELLO.

EPIGRAMMA LVI.

UNdique bella fremũt; Homines cęduntur ubique;
Humano tellus ſanguine tota madet.

Quæ ſitis hæc unquam? Belvas evincimus ipſas?
Sævitiem tantam non didicêre feræ.

Nulla paris monſtri ſimilis fera ſanguine gaudet;
Solus at Humano ſaguine gaudet Homo.

Ad Philodemum.

EPIGRAMMA LVII.

BElla, Duces loqueris, Philodeme; referſque,
Quid Carolus tentet; quid Lodoicus agat:

Quot paret Hiſpanus naves; ac arma Philippus;
Quot Bellatores Anglia fortis alat.

Cui non es notus, Mavors, Philodeme, videris;
Sed mihi notus eras alter Ariſtogiton.

De Nasica.

EPIGRAMMA LVIII.

EBrius haud paucis verſu Nasica propinat,
Sed verſu, qualis te, Ebria Muſa, decet,

Hunc ne, Phœbe, velis, precor, exornare coronâ,
Cingere quâ vatum tempora ſacra ſoles.

Illum cinge tuis, titubans Lenæe, recemis:
Sint Vati tumidi digna corona botri.

Ad

Ad Uranium Tegæum *P. A.*

EPIGRAMMA LIX.

GLoria Parrhasiæ, Pastor doctissime, Sylvæ,
Cujus ope Arcadicum nomen habere queo.
Qualiscumque, tibi debetur pagina nostra;
Sis nostri vindex, præsidiumque libri.
Hoc ego si mereor, tutus contemno supinas
Aures, & ronchos, Zoile, sperno tuos.



COMITIS JO. ANTONII
CIANTAR
EPIGRAMMATON
LIBER III.

Ad Insulam Melitam,
Sub Eminentissimo Principe F. MARCO ANTONIO ZONDADARIO, *felicissimè florentem.*

EPIGRAMMA I.


Uàm benè mellifluo scribũt tibi nectare Nomẽ,
Quæ ver floriferum depopulantur, apes.

Nempe apis, ipsa, micas melior: quà panditur Orbis
Heroes relegens colligis Una sinu.

Non thyma, non violas, non Hyblæ fertilis hortos,
Sed florem Hesperiæ nobilitatis habes.

At tu, qui, Princeps, regnas Heroibus Heros,
Imperium Meritis par geris ecce tuis.

Regia laus, sceptro populosam flectere plebem;
Sed Regum populum ducere, digna Jove.

Tha-

Thales *Milesius Astra meditans in foveam cadit*.

EPIGRAMMA II.

Labitur in foveam contemplans Sydera Thales;
Utque nimis videat, jam videt ille nihil,

Quis neget, adversis excelsa patere ruinis?
En tibi, qui solùm ponderat alta, ruit.

De Phyllidòs *Obitu*.

EPIGRAMMA III.

Fronte humilis, fumante face, inversâque pharetrâ,
Effractoque arcu squallidus ibat Amor.

Vidit, & indoluit Natum Venus alma dolentem;
Nate, quid hic fletus, dixit, & unde venit?

Nec tua fax lucem, nec vulnera cogitat arcus:
Non Amor hoc vultu, sed dolor esse potes.

Tunc respondit Amor demissâ voce Parenti:
Nil opus est arcu, nil face: Phyllis obit.

ALEXANDER MACEDO *interogatus, ubi ſuos reconderet theſauros*, apud Amicos, *reſpondit.*

EPIGRAMMA IV.

DIſcite quicunque argentum cumulatis,& aurum,
Diſcite Magnanimi ſplendida dicta Ducis.

Theſauros condit, gazas qui donat Amicis:
Arca horum noſtras quàm benè ſervat opes!

Deperdi poſſunt, noſtrâ quas claudimus arcâ,
Quas dedimus, nobis ſervat Amicus opes.

Ad COTTAM.

EPIGRAMMA V.

VIs inter veteres numerari, COTTA, ſodales,
Cùm nec te poſſim dicere, COTTA, novum.

Fare, age, quod pręſtas unquàm mihi munus Amici?
Quo nos officio, COTTA, juvare ſoles?

Sed mecum cœnas, quoties te, COTTA, vocavi;
Cùm prior ipſe, tibi, dixero, reddis, ave.

Munera ſi mittam, recipis quàm, COTTA, libenter....
Sunt ſatis hęc: dotes, COTTA, Sodalis habes.

Ad

Ad CALLIODORUM.

EPIGRAMMA VI.

DEsertis ſcrobibus veniſti nuper in urbem,
Si memini, nudo, CALLIODORE, pede.

Nunc verò lentis incedis greſſibus audax,
Teque ſuperba tegit, CALLIODORE, clamys.

Nunc tollis frontem, nullum dignaris honore.
Quis te Rurigenam, CALLIODORE, neget?

Ad CINNAM.

EPIGRAMMA VII.

DIcis, quòd nunquàm placuit tibi, CINNA, Poëſis:
Haud miror: nam non cuilibet illa placet.

Admodùm Reverendo P. FRANCISCÒ *Caſtiglia, Melitenſis Collegii Soc. Jeſu Moderatori digniſſimo.*

EPIGRAMMA VIII.

NObile cùm claro ſplendeſcat ſtemmate Nomen,
Plena, tibi, & patrias arca flagellet opes:

Commoda, & illecebras, & Avitæ Nomina Famæ
Paupere ſub cultu diſſimulare cupis.

Nem-

Nempè rei melior Dominus, dum ſpernis; honores,
Quos fugis in terris, certus ab Axe petis.

Ad Gallam

EPIGRAMMA IX.

VEnundas ædem, quam mater avara reliquit,
Ut pictâ corpus Cyclade, Galla, tegas.
Diogenes poſthác ſileat verſatile tectum;
Scis illo meliùs vertere, Galla, domum.

Aliud

Ad Eandem.

EPIGRAMMA X.

GAlla, geris veſtem, pretio quæ conſtitit ędis:
Jam jam dicêris tu Domiporta mihi.

In Illud Juvenalis: *Sed te*

Nos facimus, Fortuna, Deam, Cœloque locamus.

Ad Faustum.

EPIGRAMMA XI.

COntinuas movet Orbe vices Fortuna, jocoſque;
Ipſaque Fortuna eſt non, niſi, Fauste, jocus.
Non-

Non-ne jocus, cùm sit Cicero de Rhetore Consul?
Non-ne jocus cúm de Consule Rhetor erat?

Fallitur, incerto quisquis spem Numin ponit:
Demens, est Numen, qui putat, esse jocum.

Ad PONTICUM *de* LAUSO.

EPIGRAMMA XII.

CUm nullam duxit Piscator, PONTICE, prædam,
Se varios pisces quærere, LAVSUS ait.

Quærere se dicit rhombos, mullosque bilibres,
Quosque magis raros cærula Tethys alit.

Cùm resonant mullis, resonant cùm compita rhom-
Mænas, & lepades, PONTICE, LAUSUS emit. (bis,

In BITHYNICUM

EPIGRAMMAX XIII.

ET damnas elegos, & epos BITHYNICE, laudas,
Sed te, quæ damnas, quæ celebrasque, latent:

Sic semper cæcus laudat, BITHYNICE, lucem;
Monticola haud aliter despicit Oceanum.

Nunc ſanè meliore ſub Saturno
Fulget candida, Sanctiorque Virtus:
Dextrâ dum Pius Orbis INNOCENTI
Gaudet dirigi, & alma ROMA natum
Lætatur fieri ſibi Parentem.
Ætatem neget auream redire
Quis nobis, veteriſque fonte rurſum
Enaſci pretioſa ſæcla venæ?

Ad NEALCEM, *qui cùm ſpumam Equi delineare arte non potuiſset, ſpongiâ in Tabulam jactâ, illam caſu perfecit.*

EPIGRAMMA XVI.

QUàm benè Quadrupedē pinxit tua dextra, Nealces!
Verùm Quadrupedi cādida ſpuma deeſt.
Quid facis? Irato vibratur ſpongia pugno
In Tabulam? Multúm tu, mihi crede, ſapis.
Sufficis ingenio, ſi non ſuffeceris arte:
Noſti, quòd ſpumam ſæpiùs Ira facit.

Ipſa feris, ferit illa, ſed hoc diſcrimine: vulnus,
Quod facis ipſa, leve eſt, quod facit illa, grave:

Ad Castricum.

EPIGRAMMA XX.

ICario ardebant ſiccæ cùm ſydere meſſes,
Tunc hiberna tibi, Castrice, veſtis erat;

Et cauſabaris lentæ modò frigora febris,
Et modò erat grauitas perniciosa Poli.

Sed poſtquam Proavus tibi millia ſena reliquit,
Æſtiva & madido tegmina vere geris.

Sic febriſque, Polique abierunt frigora? Nummis,
Credo, carere tuum, Castrice, frigus erat.

In Philomelum Eunuchum,

EPIGRAMMA XXI.

SÆpius illuſtri jactas te ſtirpe creatum;
Teſte ſed ex nullo dicta ſuperba probas.

Num caſtrant pueros clari, Philomele, parentes?
Si caſtrant, teſtes nobilitatis habes.

Ad

Ad Cleombrotum Philosophum, *qui, lecto Platonis libro, de Animæ Immortalitate, se ipsum è sublimi saxo præcipitavit, ut citiùs ad* Beatorum *cœtum perveniret.*

EPIGRAMMA XXII.

Dum nimis affectas æternam ducere vitam,
  Æternam properas jam tibi stulte, necem.

Descensu, credis, sedes migrare Beatas?
  Illuc quæ ducit, te via recta latet.

Ad Munnam.

EPIGRAMMA XXIII.

Illinc magnificas populo comitante quadrigas
  Cernis, & in medium, comptule Munna, ruis.

Hinc turbæ ignotæ varios, subitosque tumultus
  Cernis, & in medium, comptule, Munna ruis.

Et res eximias, & res ubicumque decoras
  Cernis; sed te quid pulchrius esse putas.

Omnia dum cernis, dum curris ad omnia, Munna,
  A cunctis cerni, aut cernere, cuncta cupis?

Ad

Ad Tullum.

EPIGRAMMA XXIV.

AUdis me veterum celebrantem carmina Vatum
Contracto, ſemper, Tulle, ſupercilio;

Quin ais: hæc nullam parient tibi carmina meſſem;
Si laudas meſſem, Tulle, colonus habet.

Ad Xersem *ventos, qui pontem Helleſpontiacum diſiecerant, verberari jubentem.*

EPIGRAMMA XXV.

Ergo-ne tam multo Boream tu verbere cædis;
Quòd fluxit rabidis pons maleſanus aquis?

Non dignus flagris, pontem qui deſtruit; at qui
Conſtruxit, ſolus verbere dignus erat.

Aliud

Ad Eundem.

EIGPRAMMA XXVI.

DUx maleſane, leves plectis dum verbere ventos,
Eſt cervis illis non-ne tibi levior?

In

In GELLIAM.

EPIGRAMMA XXVII.

CÚm Meſſalinâ tu ſis laſcivior ipsâ,
Et ſis, quàm Zoë Luxurioſa magis:

Vis nobis teneræ frontis, vis caſta videri,
Matronæ vultus ſubſimulans Latię.

Fingere quìd mores prodeſt? Vis, GELLIA, dicam?
Tu vera es Thais, fictaque Penelopè.

Ad HERACLITUM, *&* DEMÒCRITUM.

EPIGRAMMA XXVIII.

NOn ego te damno, reples qui fletibus ora;
Nempè ſumus miſeri, quotquot in Orbe ſumus.

Nec te contemno, gaudes qui ſæpè cachinnis,
Nam riſum, quidquid volvitur orbe, ciet.

Vita hominum lacrymis eſt digna, eſt digna cachinnis;
Eligit hic riſus, elicit hic lacrymas.

Ad PONTICUM *de* GALLA.

EPIGRAMMA XXIX.

UT cretata timet ſolis Nigrina calorem,
Putida ſic riſum, PONTICE, GALLA fugit.

Qua-

Quatuor, aut quinque huic empti sunt, PONTICE, dentes;
Cùm nimiùm ridet conspuit ipsa duos.

Si sapis, evites ridentem, PONTICE, GALLAM,
Non secùs à dura grandine tutus eris.

In CINNAM.

EPIGRAMMA XXX.

CINNA, paracta tibi jàm bis trigesima messis
Cùm sit, teque probet candida barba senem:

Credis, te primâ semper florere juventâ,
Quæque decent pueros, teque decere putas.

Te res una decet, pueris quæ convenit: hæc est,
Ut possit Tutor vel tibi, CINNA, dari.

Ad MENECRATEM MEDICUM, *qui mercedis vice ab Ægrotis exigebat, ut eum Jovem, ac Dominum vocarent.*

EPIGRAMMA XXXI.

ARte Machoniâ quamvis tua gloria crescat,
Ipse afferre tibi pharmaca sana volo:

Edunt Anticyræ quædam medicamina montes;
Crede mihi, hæc cerebro sunt nimis apta tuo.

In TALIARCHUM.

EPIGRAMMA XXXII.

SCis te de Scythicis, TALIARCHE, parentibus ortum,
Scis illos nigro pane levare famem.

Qui tamen hæc nescit, clarâ te gente creatum
Credet; ne placeas hinc, TALIARCHE, tibi.

Ingenuos de fronte negas, TALIARCHE, parentes,
Nec benè progenitum moribus esse probas.

At modò, quod non es, curas, TALIARCHE, videri;
Et cùm sis minimus, maximus esse cupis.

Ad THEOPOMPUM.

EPIGRAMMA XXXIII.

COnflictus loqueris sēper, THEOPOMPE, Ducesque,
Osque tuum tantùm bella, tubasque sonat.

An sis intrepidus, non audeo quærere, miles;
Hoc scio: dat coniux verbera sæpè tibi.

MONIMA *Uxor* MITHRIDATIS *proprio Diademate se suspendit.*

EPIGRAMMA XXXIV.

GEmmatum torquet Regalia guttura sertum,
Sertum, quod gaudet funis habere vices,
Quàm

Quám ſit vera, patet, Tuſci ſententia Vatis,
Fortnnæ, dixit, munera, qui laqueos.

Ad Philomusum.

EPIGRAMMA XXXV.

QUid proavos, atavoſque tuos, Philomuse, renarras,
Sanguinis atque adeò nobilitate tumes?

Illi, nemo negat, clari, Philomuse, fuere;
Sed conferri illis tu, Philomuse, nequis.

In illud Senecæ: *Sapienti Viro omnis locus patria eſt*.

A*d* Nevolum.

EPIGRAMMA XXXVI.

PAtria cuique ſua eſt, ſed multis Patria tantùm
Eſt natale ſolum, ac tecta paterna placent.

Patria cuique ſua eſt, non paucis patria verò
Eſt quodcumque ſolum, & quælibet ora placet.

Illorum minor eſt, iſtorum patria major:
Hanc illi præfert, Nævole, qui cor habet.

In Lausum.

EPIGRAMMA XXXVII.

Contemnis Romam, laudat quam Gallus,& Anglus,
Cùm ſit Brunduſium patria, Lavse, tibi.

Mirantur plures, cupiuntque ediſcere cauſam;
At non miror ego, me neque cauſa latet.

Naſcitur in fœda turpis quæ, rana, palude.
Non-ne hæc vel magnum ſperneret Oceanum?

In Posthumum.

EPIGRAMMA XXXVIII.

Carmina cùm recites aliena, ut Psittacus alter:
Non placet hoc, inquis, diſplicet hoc etiam.

Hac ratione nequis jam dici, Posthume, cenſor;
Majori mimus, Posthume, laude fores.

Ad Quarintum *Bolinęum P. A.*
De eruditiſſimo ejus Libro.

EPIGRAMA XXXIX.

(*) Quòd juſtos laudas Reges, Quarinte, Duceſque,
Ritè mihi Themidos diceris æquus amans:

Tàm

Tám benè(*)quòd Natos informas,atque Parentes
Solliciti Patris perficis officium.

Rebus in adverſis (*) quòd conſolaris Amicum,
Demonſtras Animi robora firma tui.

(*)Quòd ſuades, charâ quemvis Virtute nitere,
Virtutis meritò crederis eſſe ſequax.

(*)Quòd nimiis vitiis populoſas ingemis Urbes,
Vellet te civem Urbs quælibet eſſe ſuum.

Laudibus in Cœlum veros [*] quòd tollis Amicos,
Jàm cuivis notus verus Amicus eris.

Sed quòd tàm varia, & quòd tàm ſubtilia tractas,
Arcadiæ, & Melites te, reor, eſſe Decus.

(*) Sex ejuſdem Libri argumenta.

De Tullo.

EPIGRAMMA XL.

SCribere ſcit ſolùm Tullus ſermone ſoluto,
Scire tamen ſeſe carmina quæque putat.

Si poſcas elegos, ſpondet; ſi Epigrammata quæras,
Offert; at tantúm verba ſoluta leges.

Inclyta Idumeę ſileant miracula Mannæ;
Proſa etenim Tulli, quod cupit ille,ſapit.

ZEUXIS *Anum à se pictam sine fine ridens emoritur.*

EPIGRAMMA XLI.

CUm Vetulam mirâ ZEUXIS depinxerat arte,
Post risus animam fudit ab ore suam.

Quis tanti Artificis mirari desinat artem,
Quæ dum tam placuit, displicuisse potest?

Aliud *Ad* EUNDEM.

EPIGRAMMA XLII.

QUàm benè viventem Vetulam tua dextra colorat.
Quis vivam neget hanc esse? necare potest.

Aliud Ad EUNDEM.

EPIGRAMMA XLIII.

DAs vitam Vetulę, Vetulam cúm, ZEUXIS, adumbras
Hæc tibi pro vita reddit iniqua necem.

Aliud

Aliud

Ad Eundem.

EPIGRAMMA XLIV.

DIcere jure potes migrans ad Tartara, Zeuxis,
Heu! patior telis vulnera facta meis.

Ad Castricum *de Nasica.*

EPIGRAMMA XLV.

PRædia quòd Nasìca det, & det, Castrici, fundos,
Cùm nec habet fundos, prædia cùm nec habet,

Miraris? parit haud talis mihi causa stuporem;
Quòd non det ficos, Castrice, miror ego.

Ad Sextilianum.

EPIGRAMMA XLVI.

TU me sæpè mones, nullos ut carmine pungam;
Sed celebrem claros, Sextiliane, viros.

Et laudo claros; vitiosos pungo virosque:
Clam pungo: laudo, Sextiliane, palàm.

Ad-

Admodùm Reverendo P. FRANCISO *Castiglia, Melitensis Collegii Soc. Jesu Moderatori dignissimo.*

EPIGRAMMA XLVII.

CUm, FRANCISCE, tuas Animi benè pondero dotes,
Vis, dicam, qualis crederis esse mihi?

Qualis erat, Latio cùm, Tullius, ore tonaret;
Qualis erat scribens, Carmina Virgilius;

Qualis erat Scotus, posita argumenta refellens;
Qualis Aristoteles, cùm docuisset, erat.

Cùm tamen illorum par sis, FRANCISCE, cuivis,
Illorùm dici par tibi nemo potest.

Ad SISINNIUM *Monachum, qui in Sepulchro se inclusit, in quo vixit ad mortem usque.*

EPIGRAMMA XLVIII.

TOlle Sepulchrali vivam de marmore frontem,
Et nos vivendi dogmata vera doce:

Semper enim vivit, mortem qui ponderat; atqui
Expendisse negat, continuò moritur.

Aliud

Aliud

Ad Eundem.

EPIGRAMMA XLIX.

CLauderis in tumulo, cùm nondum lumina clau-
Et vivis moriens, vivus & ipse peris. (das;

Ad Philomusum.

EPIGRAMMA L.

URbanum quoties viso,, Philomuse, Lupercum,
Qui trahit à prisca nobilitate genus:

Mandat honoratâ mox me considere sellâ;
Ac egressuro fit comes exterior.

At cúm te viso, Romam, Philomuse, carinâ
Vectum, quâ vinum vênit ab Ænaria:

Excipis elatus stantem me fronte retectâ,
Et discedenti respuis esse comes.

Jam, Philcmuse, vale: visat te quilibet alter:
Nam posthàc fastum visere nolo tuum.

DIOGENES CYNICUS *interroganti cuipiam, quodnam gravius onus Terra ſuſti-neret*, Indoctum hominem, *reſpondit.*

EPIGRAMMA LI.

NUllius Indoctos credebam ponderis eſſe;
Hos CYNICUS magni ponderis eſſe docet.

Nullum majus onus, quàm quod quis ſuſtinet ægrè;
Sed Terram Indoctos ſuſtinuiſſe piget.

Ad NASIDIENUM.

EPIGRAMMA LII.

MUtua mille peto, dare te bis mille libenter
Dicis: at uſuram, NASIDIENE, petis.

Sunt mihi mille ſatis, capiam ſed millia dena,
Si nunquàm nummos, NASIDIENE, petas.

Ad TUCCAM

EPIGRAMMA LIII.

CÚm narres aliquid, facilem nec vocibus aurem,
TUCCA, tuis præſtem, mox queribundus abis;

Jam-

Jàmque viros credis me, TUCCA, odiſſe loquentes,
Et tantùm muto me Morione frui.

Falleris: haud paucos nàmque audio, TUCCA, libenter;
Verba placent mihi, ſed non tua verba placent.

Ad CALLISTRATUM *de* LUPO.

EPIGRAMMA LIV.

ILluſtri de ſtirpe Lupum, CALLISTRATE, natum
Dicebant plures: non mihi talis erat.

Obſcurâ de gente ſatum, CALLISTRATE, dicis;
Nunc ego ſtirpe ſatum nobiliore puto.

HELIOGABALUS *convivas roſis opprimit.*

EPIGRAMMA LV.

AMpliùs haud jactet lethale cicuta venenum,
Ipſæ afferre necem ſi didicêre Roſæ,

Ad TULLUM.

EPIGRAMMA LVI.

QUàm fueras mitis, nummis cùm, TULLE, carebas!
Sed nunc dives opum, TULLE, ſuperba ſapis.

Non facis hoc bellè; debes modò mitior eſſe:
Divitiis turget, TULLE, puſillus homo.

AGIS *Lacedæmoniorum Rex bellum petens gregarii militis veste tegitur.*

EPIGRAMMA LVII.

NOn clarum galeæ jubar,
Non ensis radians, non clypei nitor,

Non auro rutilans clamys;
Te verò sagulum contegit asperum,

Quo vestire solet fera
Sese Belligerûm turba per agmina:

Sed frustrà sagulum tegit
Te, quem ter celebris dextera detegit.

Ad FAUSTUM *De* GRÆCIS.

EPIGRAMMA LVIII.

N*On possum*, clamat Juvenalis, *ferre Quirites Græcam Urbem*: ùt GRÆCOS omnia nosse putet:
Alter ait: *timeo Danaos, & dona ferentes*;
Ergò cui GRÆCO fidere, FAUSTE, potes?

Ad

A*d* Calocissum.

EPIGRAMMA LIX.

NIl præter Scyllam loqueris,ſociãque Charybdin,
Ac Ætnam præter nil tua verba ſonant.

Enceladum memoras,memoras, Calocisse, Cyclopas;
Et Lernæa tibi non minùs Hydra placet.

Cur ampullaris verbis, Calocisse, ſonoris?
Fors melior tubicen ſic, Calocisse, fores.

A*d* Athenienses, *qui Evagoram interfecerunt, quòd Alexandrum M. adoraſſet.*

EPIGRAMMA LX.

EVagoram lethi pœnâ mulctatis, Athenæ,
Quòd dedit Æmathio thura Sabæa Duci.

Erratis magis ipſi, & vobis debita pœna eſt,
Reditis ignoto quòd pia thura Deo.

Evagoram Juvenis Pellæi bellica virtus
Decipit; at noſcit, quem colit, ille Deum.

Aliud

Aliud
De Evagora.
EPIGRAMMA LXI.

PEllæi Juvenis perpendens fortia facta
Evagoras, Belli hunc credidit esse Deum.

Ad Zoilum.
EPIGRAMMA LXII.

SI tibi displicuit, nos hunc scripsisse libellum,
Ne precor, attollas grande supercilium;

Sed fac, ut quoque displiceant tua carmina nobis:
Æqualem nostro, Zoile, scribe librum.

Pro restituta salute
Eminentissimi Principis
Fr. MARCI ANTONII ZONDADARII
Magni Hierosolymitani Ordinis
Magistri &c.
EPIGRAMMA LXIII.

TErge, Astræa, genas; Pietas compone dolores;
Majestas grandi sceptra resume manu.

Ille Ducum Princeps, Virtutum Gloria Marcus,
Quem quasi de Terris abstulit atra dies,

Vi-

Vivit; quin Major de Morte revertitur Heros,
Ut Cœlum referat, quod propè jam tenuit.

Gratulor. Oh quantùm Latio conceditur Orbi!
In plausum ancipites utque abiere metus!

Macte animis, PRINCEPS. Meritis tibi protrahis ævum,
Vita TUA est Summi maxima cura Jovis.

INDEX LEMMATUM

Ex Primo Libro.

Ad

L *Ad*

Ex Libro Secundo.

L 2 *bus*

Ex

Ex Libro Tertio.

Ad

INDEX RERUM.

A

Cos-

 rum

B

C

Ce-

D

H

I

L

M

Mi-

N

O

Pa-

P

Qua-

Q

R

S

Ro-

T

Z

Errata quædam.	*Sic corrigenda.*
Pag. 9. verſ. 2. fonres	fontes
Pag. 18. verſ. 16. jamue	jamque
Pag. 21. verſ. 12. centu	cenſu
Pag. 22. verſ. 13. fuit ;	fuit ?
Pag. 24. verſ. 6. tenuvi	tenui
Pag. 27. verſ. 16. munerc	munere
Pag. 35. verſ 10. Sertoris	Sertorius
Pag. 35. verſ. 11. Caltrice .	Caſtrice ,
Pag. 36. verſ. 17. Fuſte	Fauſte
Pag. 39. verſ. 13. Ulyſſis	Ulyſſis ?
Pag. 44. verſ. 16. de qnodam	De quodam
Pag. 57. verſ. 3. Numin	Numine
Pag. 57. verſ. 14. Epigramma X	Epigramma
Pag. 62. verſ. 17. comptule , Munna	comptule Munna ,
Pag. 66. verſ. ult. vices ,	vices .
Pag. 67. verſ. 2. Fortunæ	Fortunæ
Pag. 73. verſ. 14. rerectâ	retectâ

In Primo Indice.

Epigr. 1. Zondadaxio	Zondadario .





